

1

*Genesis 2:15-25*

*Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operaréatur, et custodíret illum :*

*praecepítque ei, dicens : <<Ex omni ligno paradísi coméde; de ligno autem sciéntiae boni et mali ne comédas : in quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris.>>*

*Dixit quoque Dóminus Deus : <<Non est bonum esse hóminem solum : faciámus ei adjutórium símile sibi.>>*

*Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terrae, et univérsis volatílibus caeli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea :*

*omne enim quod vocávit Adam ánimae vivéntis, ipsum est nomen ejus.*

*Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília caeli, et omnes béstias terrae :*

*Adae vero non inveniebátur adjútor símilis*

eius.

*Immísit ergo Dóminus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea.*

*Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem : et adduxit eam ad Adam.*

*Dixitque Adam : << Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. >>*

*Quam ob rem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae : et erunt duo in carne una.*

*Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus : et non erubescabant.*